

Disputatio inauguralis medico chirurgica de fonticulis ... / [Matthias Heinrich Winter].

Contributors

Winter, Matthias Heinrich, active 1680.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorffii : Literis Henrici Meyeri, [1680]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wxa4q4hs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICA
DE

FONTICULIS

QUAM
SUPREMO ADSISTENTE ARCHIATRO
GRATIOSISSIMO
JUBENTE COLLEGIO
ET

ORDINE ASCLEPIADEO

IN
INCLUTA NORIMBERGENSIUM PALÆCOME
PRO

LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA IMPETRANDI
HONORES

SOLENNI MORE

PUBLICÆ PHILIATORUM VENTILATIONI
SUBJICIET

AD D. XXII. Junij,

A. O. R.

M. DC. LXXX.

MATTHIAS HENRICUS WINTER,
Creilshemio-Francus.

ALTDORFFI,

Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.

**Omnia
ad
DEI Gloriam,
PROXIMI Salutem,
FAUTORUM Beneplacitum.**

B. C. D.

Proœmium.

I*Nter Regulas equidem in Praxi Medicâ attendendas hac, à Dictatore Galeno L. XIV. Meth. Med. cap. 13. indicata, omnium ore circumfertur : Ut Curatio fiat tutò, citò & jucundè ; Ea ipsa tamen an quoad tres simul expressas conditiones ubivis in actum deduci queat, plures subdubitabunt : Sapius quippe horridioris præsidii ingruit necessitas, quando extremus morbus extrema postulat remedia juxta Hipp. Sect. 1. Aph. 6. nam quæ medicamenta non sanant, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat, Sect. VIII. Aph. 6. ubi certè propter dolorem concurrentem jucunditatem aliquam subesse nemo sibi persuadebit, tametsi ingenuum & æquum arbitrum considerare oporteat, compendium esse dolorum, perpetuo sub morbi decursu ingravescentium, uno semel & brevi transitorio dolore nocturnos atque diurnos alios omnes finire, loquor verbis Celeberrimi Marci Aurelij Severini Efficacis Medicinæ L. 1. part. 1. C. 4. Sed an præterea in istiusmodi operationibus ferrum & ignem postulantibus citò, tutoq; procedere valeas, æquè controversum videbitur, minùs tamen rectè de omnibus negativa sententia pronuncietur : Citò namq; polydadalès res quandoque succedit Instrumentis, dum unâ incisione, una ignis actualis vel potentialis admotione, totum sæpè negotium absolvitur ; tutò autem ejus generis medicinam fieri, quòd si vel pars etiam quæ piam auferatur, secetur, uratur,*

tar, exinde constat, quia hoc medio præcavetur, ne malum aliquin immedicabile futurum ulterius serpat, totumque corpus cum extremo vitæ periculo corrumpat. Maneat igitur remedia etiam potentissima sua laus, ob necessitatem & utilitatem magnæ æstimanda, nam quod semper tria illa simul præsent asserere nolum, exemplis contrariis convictus. Jam verò discursum hunc præmittere placuit, ut viam sternerem ad præsentem dissertationem Inauguralem, quam post exantlata Examina, Jubente & consentiente GRATIOSISSIMA FACULTATE MEDICA, de FONTICULIS elaboravi, ceu præsidii ferro & igne tam actuali quàm potenciali salutiferis, ad Chirurgiæ ustoriam alteram speciem aversoriam à laudato ante Severino in Præfat. ad lib. I. reductis. Priusquam tamen ipsi operi me accingam, DIVINI NUMINIS auxilium supplicibus invoco precibus, quod si autem ad humanæ imbecillitatis scopulos alliserim, Benevoli Lectoris aquam exposco atque præstolor veniam.

THESIS I.

IN ipsâ tractatione, quam nunc aggredior, quia animus est receptum ordinem sequi, ab evolutione nominis incipiam, communis siquidem Autorum sententia jubet, *initium omnis doctrinæ esse inquisitionem nominis*. Puto autem neminem latinæ linguæ tam ignarum, ut non noverit *fonticulum* esse diminutivum & denotare parvum fontem; quare id saltem monendum erit, fonticulum figuratè & per metaphoram hîc dici ulusculum parvum arte productum: Quemadmodum enim ex fonte perpetim aliquid profluit, ita ex hoc humor semper profunditur, sive *manantes corporis vel certæ cujuspîam partis superfluitates educuntur*, juxta Marc. Aurel. Severin. pyrot. chirurg. l. 2. p. 1. de Entopyr. C. 1. non minus sicuti fons vulgaris in terrâ excavatur, ita hic noster fonticulus cavitatem patulam in parte cui inuritur relinquit.

Aliàs

Aliàs *fontanella*, item *ulcus emissarium* appellatur, Germanis audit ein Fontanell / vel ein zubereiteter Leibesfluß.

II. Circa *homonymiam* porrò notare debemus, fontanellam etiam appellari portionem cranij membranaceam, in infantibus ad concursum sagittalis & coronalis futuræ obviam, seriùs solidescentem. *Joh. Riolan. Anthropographia Libr. VI. cap. ultim. Joh. van Horne Microcosmi §. 47.* dein vocabulum fonticuli quandoque latiùs accipi & improprie pro omni cauterio vel etiam vesicatorio alicui parti ad-moto.

III. Declarato nomine me converto ad *definitionem*, quoniam cæteroquin hâc ignoratâ, res ipsa, de quâ tractatur, ignoratur. *Definitio igitur fonticulum, quòd sit ulcusculum rotundum & cavum in extimâ corporis humani regione cauterio actuali vel potentiali vel incisione curatè paratum, pro materiâ excrementitiâ fluidâ sensim evacuandâ, morbiq; inde enasci aptis præcavendis, vel præsentibus tollendis.*

IV. *Generis* locum in datâ descriptione occupat ulcusculum, ad ejus enim naturam fonticulus proximè accedit: *Differentia specifica* desumitur: I. *A forma*, dum dicitur esse ulcusculum rotundum, utpote hoc modo difficilimæ consolidationis, comòdissimū verò partim ad imponendos globulos id apertum servantes, partim ad educendam materiam vitiosam, ne aliquid in angulo quopiam subsistere, & putrefactum foetorem aliaq; graviora symptomata inducere possit: Idem dein vocatur cavum, per integumenta enim communia ad subjectam carnem penetrare debet, quo ipso distinguitur à vesicatoriis superficiem cutis saltem attingentibus, & in bullas cuticulam attollentibus, vel inustionibus profundioribus carnem & ossa veluti pervadentibus. II. *A loco externo* postmodum exactiùs declarando, ad dignotionem

inustionum in partibus internis e. g. uvulâ erosâ, vasis ruptis, &c. factarum. III. Et potissimum à causâ efficiente, quæ est vel *animata*, *Medicus* nempe aut *Chirurgus* fonticulum parans, vel *inanimata*, *cauterium actuale aut potentiale*, & *ferrum incidens*; unde hoc productionis modo fonticulus rursus distinguitur ab aliis ulcusculis, causam internam agnoscentibus humorem salinum acrem vel acidum corrosivum, substantiam partis mollem depascentem, qualia in corporibus cacochymis obvenire solent sordida & curatu difficilia, nisi massa sanguinea prius probè fuerit repurgata. IV. Et ultimò differentia specifica petitur à *sine*, qui habetur materiæ fluidæ excrementitiæ sensim facta evacuatio, pro morbis ex eâdem principium sumere aptis præcavendis, vel jamdum præsentibus curandis. *Confluunt enim ad fonticulum non tantum humores intrâ cutis poros aut glandulas aggesti, aut per arterias & nervos illuc advecti, sed insuper recrementa serosa, subtus cutim per muscutorum & membranarum interstitia de loco in locum transferri aut prorepere solita, undequâq; ad eos tendunt, & exitum inveniunt.* Vid. *Thom. Willis. Pharmaceut. rational. part. II. Sect. III. Cap. 4. de fonticulis.* Medicus igitur, cùm sit naturæ minister, quoties animadvertit naturam in corporibus serosæ colluviei obnoxiiis officium suum per ejusmodi materiæ consuetam sequestrationem & conjunctam evacuationem imperfectè exsequi, aut præstare non amplius posse, arte defectum supplere exitumq; parare debet, sicuti hoc eruditè in *Historiâ Medicâ de fonticulis* germanico idiomate conscriptâ docet *Speculatissimus p. t. Gratosissima Facultatis Medica Decanus, Vir Nobilissimus Ampliss. Excellentiss. atq; Experientiss. DN. MAURICIUS HOFFMANNUS Senior, Med. D. & Professor. Primarius in hoc Lyceo famâ & meritis celeberrimus, Potentissimi Electoris & Serenissimorum Marchionum Brandenburg. atq; Reipubl.*

publ. Norimberg. Archiater &c. Hospes, Patronus, & Promotor
Studiorum meorum obsequioso animi cultu perpetuo devene-
randus.

V. Ulterius autem hinc inferre licet, fonticulum tametsi
definiatur ulcusculū, non tamen ut morbum solutæ unitatis,
sed potius spectari ut auxilium Chirurgicum ab indicante
nempè materiâ serosâ fluidâ indicatum, utriq; Methodo Ma-
gistræ inserviens; nam quod ἀνεββῶς monuit *Vir Nobiliss.*
Ampliss. Excellentiss. atq; Experientissimus DN. JACOBUS
PANCRA. BRUNO *Phil. & Med. Doctor Theor. & Prax. in*
hâc inclutâ Profess. Publ. famigeratissimus, Patronus & Præce-
ptor meus omni honoris veneratione prosequendus, in Dogmat.
Med. General. part. 7. Cap. 1. minùs rectè Chirurgiam cum Sen-
nerto restringi debere ad eam partem solùm, qua manuum opera
artificiosâ affectibus p. n. humani corporis medetur, sed quatenus
etiam ad methodum spectat ὑγιεινὴν, idem de speciali ejus ope-
ratione fonticulorum inustione quoque intelligendum
erit, siquidem uti Excellentissimus Vir postmodum ex Cassp.
Hoffmanno in nostrâ Palacome altero quondam Galeno compro-
bat, hoc demonstrat praxis quotidiana, quæ venam secatur, scarifi-
cat, fonticulum parat, paratumq; quotidie deligat, licet dum nihil
morbi adsit.

VI. Devenio nunc ad *subjectum* fonticulorum, quod
extimam corporis humani regionem esse in datâ descriptio-
ne jamdum innui: Eam autem, prout à nobis accipitur,
constituunt integumenta quatuor communia dicta: Horum
primum est cuticula à subjectæ cutis roscido madore enasci
credita; secundum cutis, ex substantiâ constructa duplici,
alterâ exteriori membranaceâ filamentis vasorum sangui-
neorum fibrillisq; nerveis æqualiter inter textâ, alterâ inte-
riori quasi carneâ glandulis minimis miliaribus vasa excre-
toria peculiararia nactis stipata, quemadmodum accuratè hæc
decla-

declaravit in *Anatome corporis masculini* proximè elapso anno hîc habita *Vir Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. atq; Experientissimus* DN. JOH. MAURICIUS HOFFMANNUS *Phil. & Med. Doctor, hujusq; in hac almâ Professor celeberrimus, Doctor Ductorq; in Studiorum meorum cursu uti hæctenus fidelissimus, ita gratissimæ mentis observantiâ à me ætatem colendus.* Tertium integumentorum communium Pinguedo est, pars corporis candida vel luteo - albicans unctuosa ex sanguinis portionibus oleosis producta, & in membranosis sacculis, sive locellis fibrosis collecta concreescens, quemadmodum ipsam modo laudatus *Excellentiss. DN. D. HOFFMANNUS Junior in Disputat.* peculiari defini- vit. Succedit Integumentorum in ordine quartum Pan- niculus carnosus, sive membrana carnosa ideò dicta, quia circâ frontem ambitumq; colli, occiput item auriumq; plagas musculosæ carnis intextu fruitur, quamvis in ad- ulti jam hominis abdomine carnosâ specie se non profe- rat, uti testatur *Joh. Veslingius Syntagm. Anatomic. Cap. 1.* Enumerata igitur quatuor hæcce Integumenta in fonticulis parandis inustionem vel divisionem patiuntur, quinimò etiam paulò ulterius eadem penetrare debet præprimis ad musculorum intercapedines, ut humores, qui illuc effun- duntur, faciliùs evacuentur. *Hier. Fabr. ab Aquap. in lib. de Chirurgic. operation. p. m. 120.*

VII. Hisce præmissis ad apparatus fonticulorum de- clarandum propiùs accedo, inquisiturus primò in causam efficientem inanimatam sive Instrumentum, quo fonticuli excitari possunt: Id verò habetur *Cauterium* vel *actuale*; vel *potentiale*, vel *ferrum incidens*.

IIIX. Cauterium actuale appello ferramentum can- dens sive ignitum, oblongum, in peculiari thecâ ac capsulâ asservandam, extrâ quam dum illud digito superius pres- sum

sum protruditur, pars candefacta inferior in obtusum ver-
 ticem desinens prominet, loco prius designato magis vel
 minus pro cutis & corporis partisq; diversitate inprimen-
 da, moxq; post factam decentem inustionem removenda,
 & tali instrumento ferreo solemus hodie acquiescere: Pos-
 set eqvidem tale etiam parari ex ære, nisi *Aristoteles Sect. 1.*
Probl. 36. docuisset, *ambusta ex ære sanari celeriter, quoniam*
æ minus solidum existit ac densum. *Avicenna* insuper *Fen. 4.*
cap. 29. præstantissimum usum habere dicit aurum, sed caro
 nimis idem venit pretio, nec tam vile est quàm uthûc assumi
 soleat. *Hippocrates* noster Dogmaticæ artis Parens pro inu-
 stionibus aliàs adhibuit buxeos fusos, uti ex *lib. de internis*
affectionibus patet, ubi Is scribit: *Urto per buxeos fusos in*
oleum fervens tinctos: Alii radicem *Struthii* & *aristolochiæ*
ignitas applicuerunt, de quibus legi poterit *Fienus L. 11.*
de cauteriis Cap. 3. Ita paucis ab hinc annis inustiones cum
Moxâ multi moliti sunt: Verum enim verò quæ hîc po-
 stemò sub titulo cauterii actualis adduxi, vulgaribus inu-
 stionibus commoda, minùs tamen pro fonticulis conve-
 niunt: Cæterum laudem meretur solertia & cura *Hieron.*
Fabric. ab Aquapend. Hic enim cùm novisset, tria incom-
 moda plurimos ab usu cauterii actualis deterrere, *calo-*
rem, dolorem, & ignis aspectum; adhæc tria vitanda dicit ar-
 tem excogitasse laminam ferream latam & crassam, in cu-
 jus medio sit foramen ejus latitudinis, ut admittat cannu-
 lam Instrumenti, quod sinistra manu detinetur & com-
 primitur, lamina verò ex infernâ parte corpori applicata
 habet circulum cum supercilio tenui & quadantenus acu-
 to; atque refrigerat partem circumstantem & consequen-
 ter calorem ferramenti candentis, inde dolorem mitigat, ob-
 stupefaciendo sensum, tùm refrigerando, tùm margine cir-
 culi acuti comprimendo, cui postea circulo si adjungas capsu-
 lam

lam ignem abscondentem, omnibus satisfactum esset incommodis, nisi candens ferrum in capsula facile ad omnia latere aberrare soleret: Hujus aberrationis declinandæ causâ theca cylindraceum ferrum Δ tum recipiens ex emendatione Magnif. DN. DECANI bis cannulata promteq; mobilis in capsulâ esse debet, ut mox post momentaneam depressionem resilire queat, neve deprimentem digitum ignis lædat, deprimens capitulum spongia frigidâ madidum præcavere potest.

IX. Cauterium potentiale est medicamentum, quod urendi vim habet, etsi actu frigidum sit, juxta Aquapend. l. c. hoc autem ex variis in formâ tam ficcâ quam liquidâ paratur. In forma ficcâ seqq. habentur probatissima. Nimirum Joh. Heurnius lib. 1. Method. ad Praxin p. m. 68. cauterium tale parari jubet ex saponis lixivio, quod coquitur in Smegma nigrum, idq; Sartagine exceptum uritur in lapidem, qui tesserarum majorum in formam scinditur cum refrigerit, ac vitro rectè obturato ad usum reponitur. Idem describit Joh. Schröderus Pharmacop. Medic. Chym. L. 11. Cap. 65. sub titulo lapidis corrosivi. Joh. Fernel. Lib. 6. Method. medend. Cap. 19. lapidem causticum vel ruptorium ses qui horæ spatio cutem penetrantem ita confici vult: \mathcal{R} . \oplus . *ust* \mathfrak{z} ij. *Sal. armon.* \mathfrak{z} j. *Calc. viva*, *Ciner. è vini fece* $\mathfrak{a}\mathfrak{a}$. \mathfrak{z} iiij. *Tritis ac permistis* affunditur lixivium ficulneum aut tithymalinum, quod subinde colatur, dum istorum materia tota fermè dissoluta sit, lixivium dein coquitur donec crassescat & lapidescat, dein in ampulla vitreâ bene obturata & loco sicco reconditur, ne ab ambientis humiditate lique scat usuiq; futuro reservatur. Ambrosius Paræus Operum lib. XXV. cap. 32. de cauteriis potentialibus, postquam varias dedisset eorum formulas, tandem cauteria describit *serica* ipsi dicta, eò quòd serici instar mitia sint & sine dolore, & quòd ipsorum descriptionem

nem à Chymistâ quodam serico & multis precibus emerit, quæ videantur apud ipsum loco allegato. *D. Paulus Barbette Anatom. Practic. lib. 5.* in fine hoc cauterium nulum dolorem movens commendat: *R. Sulphur. crud. Arsenic. alb. Antimon. crud. āā. ʒij. Sulphuri lento igne separatim liquefacto & spatulâ agitato adde Arsenic. & Antimon. pulverisatum, & misceantur donec uniantur cum Sulphure & rubescant. Postea hujus mixturæ ʒj. capit. mort. ⊕ ʒss. Ms. F. Pulvis sexies ∞. Vini lavandus & siccandus ad usum. D. Fredericus Hoffmann. in Clav. Pharmaceutica Schröderiana ad loc. cit. præ lapide corrosivo Heurniano moderno usui accommodatiorem pronunciat sequens ⊖. causticum Antonii Molinetti in Patavino Lyceo quondam Anatomici & Chirurgi celebratissimi. R. Luna Capellata ʒij. Aq. fort. ʒvj. minutissimè in scobem redactam solve, repositam in vase vitreo ∆. arenæ admove, ubi solutum fuerit argentum, paulatim augeatur ignis & lapidem lunæ instar lanæ acquies, qui per gradus perficitur usq; ad aquæ fortis consumptionem. Observandum autem in hujusmodi cauteriorum potentialium applicatione, ne eadem nimium depascantur partes vicinas, hæce muniendas esse Empl. quopiam e. g. *Empl. Diachyl. simpl. vel de Sperm. Ranar.* super imposito, in cujus medio patulum relinquitur foramen, cui cauterium inditur, ut ad locum designatum saltem penetrare queat. Jam verò quod concernit cauteria potentialia in formâ liquidâ, hæc ipsa rariùs hodie expetuntur: Olim quidem *Aq. Fortem*, aquam saponis vel *Sulphur & Plumbum* igne calefacta atq; liquata in eum finem adhibita & affusa fuisse *Claudinus*, *Fienus* aliique testantur, locis vicinis (ne ab humido facile diffuente nimium lædantur) munitis circulo ex argillâ vel farinâ aq. subactâ circumducto, vel glutine ex *Mastiche*, *sarcocollâ*, *thure*, singulis pulverisatis cum al-*

burnine ovi permixtis applicato , pervio tantum existente loco determinato, in quem liquor causticus , (veluti in formam plumbum liquatum pro globulis sclopetorum) infundatur vel potius instilletur. Sed dixi tumida ejus generis cauteria rarioris nostro tempore esse usus ; solent nihilominus nonnulli audaculi *butyrum* § ij (quod ex sulphure § ii cum particulis \ominus inis & sublimati acidis ab Δ e colliquato constare, cum id parâssemus, in Collegio privato Chemico ante annum habito *Excellentiss. DN. D. HOFFMANN. Junior, Præceptor meus immortalis laude dignus* disse-rebat) cum globulo hederæ ab Emplastris circumvallato imponere, verum non sine gravissimo periculo & vehementissimo dolore , uti non ita pridem *Magnif. DN. D. HOFFMANN. Senior* observavit. Alii idem in calami scriptorii portiunculam, conveniente loco appositam, instillare solent hinc convenienter deligare, donec subjecta integumenta corrosa fuerint. Sunt etiam qui *oleum Sulphuris* aut \oplus i intincto in eo specilli mucrone, specilloq; convoluta, in eundem scopum adhibent : Similiter aliqui solo acquiescunt lixivio , tuncq; sub Emplastro foramen habente , in ambitu foraminis ab internâ parte , quæ carnem respicit , filum aliquoties in circulum ducunt , uti rudentes suos facere solent Nautæ , & huic spatiolo infundunt lixivium , ita ut extrâ circulum non evagetur , sed cutim erodat ad magnitudinem spatioli. Vid. *Joh. van Horne Microtechn. §. 32.*

X. Post recensionem cauteriorum ad alium me convertito fonticulos excitandi modum , qui fit per incisionem : Nempè enim cutis solet primò digitis profundè apprehendi, elevari & duplicari , quo peracto in regione propositâ instrumento ferreo instituitur incisio, dein statim pisum vel globulus imponitur : *Hieron. Fabr. ab Aqua-pend.*

pend. loc. jam citato de Chirurg. operationibus , ne dolor in isthâc incisione suboriatur insignis, assumit duas ferreas laminas, quæ in medio scissuram habent, elevat cutim & duplicat, atq; inter duas laminas arctè stringit, ut sensus ferè obstupeſcat, tùm scalpello ad scissuram idoneo incidit, sicq; fonticulum per incisionem producit.

XI. Nunc quæritur, quodnam magis tutum existat, an Cauterium actuale, an potentiale, vel Incisio? Respon-
deo, Actuale cauterium tutissimum esse, (1.) quia vis ignea ferricandentis simplex est, nihilq; præter calorem & empyreuma causatur, utroq; mox rursus evanescente, cauterium verò potentiale malignâ & venenatâ qualitate lædere potest, uti antea dictum, incisio dolorem parit atrocem, inflammationem, & sanguinis profusionem. (2.) Cauterium actuale citissimè & non altius penetrat, quàm nosmetipsi volumus, econtra potentiale sæpè magis absumit, quam par est, ita ut non rarò (loquor verbis *Aquapendentis*) vis ejus pertingat ad musculos, tendines & nervos, ob quam causam excitati sunt dolores & inflammationes, inde gangrenæ & sphaceli, & magna ulcera, ita ut nonnullis fuerit opus crus excidere totum, nonnulli quoque ex eâ re interierint. (3.) Actuale citius & quasi in instanti operatur, itaq; fallere potest dextra conclusum, ut vix percipiatur, non tam enim urendo dolorem excitat, quam vitalitatem expugnando & quasi mortificando sensum extinguit, adeoq; minori cum molestiâ & jucunditatis secuturæ celeriori spe; potentiale tardius ad effectum pertingit, nam moram aliquam temporis postulat ad actuationem necessariam, incisio longiorem & diuturniorem dolorem infert ægro. (4.) Actuale partes laxas & sero fluido molliores ac quasi lubricas factas, adstringit, exsiccatur, roborat, potentiale neutrum horum

præstat, quin potius in corporibus ejusmodi cacochymicis gangrænæ & sphaceli periculum minatur. (5.) *Jul. Caesar. Claudinus L. 11. de Ingressu ad infirm. cap. 7. in duobus casibus ignem actualem magis probari affirmat: Primus est, si pars cui cauterium infigendum est sit præcipua ac nobilis vel saltem roboratione indigeat, quo nomine capiti semper cauterium actuale erit adhibendum; alter casus est, si citâ purgatione & evacuatione exsiccationeq; indigeamus.*

XII. Ex dictis igitur patet, ignem sive cauterium actuale potentiâli præferendum esse: Enimverò quia nonnulli sunt, qui ferramentum ignitum, teste *Fabricio ab Aquapend.* & experienciâ fidissimâ magistrâ, adeò reformat, ut nolint admittere, in gratiam illorum potentiâli caustici usum vel incisionem lubentissimè concedimus, dummodo Medicus aut Chirurgus debitam adhibeat industriam, & circumspectè attendat, ne latius, quàm decet, id rodendo serpat, vel symptomata periculosa inducat.

XIII. Hucusq; locutus sum de causâ efficiente inanimatâ fonticulorum, restat, ut breviter de animatâ aliquid proferam: Hanc verò suprà jamdum constitui *Medicum* vel *Chirurgum*: Et Medico quidem rectissime istiusmodi munus demandatur, juxtâ imitationem celebratissimorum in Italiâ Medicorum) qui Anatomix peritus fuerit, & hanc operationem exercuerit ad præcavenda symptomata perniciosâ, introduci solita à Chirurgorum nonnullorum cognitione Anatomicâ sufficiente destitutorum audaciâ, ignorantiam, secundum *Hippocr. in Lege, arguente*. Quod si verò Chirurgus, uti decet, partium corporis humani noticiam etiam calluerit, nequaquam ipsum ab hoc etiam officio præstando excludemus. Cæterum quisquis fonticulos parare intenderit, primò omnium locum exactè inquirat, dein atramento designet,

fignet, quæ impedimento esse possint e. g. capillos in capite removeat, tùm animo præfente, ferramentum candens capsulæ inclusum manu nec tremulâ nec rigidâ apprehendat, & decenter eâ quâ fieri potest celeritate, imprimat: Non unus verò impressionis existit modus, sed varius pro cutis diversitate, viz. mollitie, duritie, tenuitate, crassitie requiritur; ideoq; in puero minus, in adulto magis, in sene adhuc magis; item in brachio, ubi mollior & tenuior cutis est, minùs; in crure, ubi durior & crassior est, paulò magis ferrum candefactum inprimendum erit. Temperamenti quoque & constitutionis corporis ratio habenda est, in cachymò enim corpore aut crure tumido, item in hydropico leniter inurere debemus. Quod si cauterium potentiale sibi admoveri patiens velit, pro circumstantiarum istarum varietate, id citiùs vel tardius removebimus. Incisionem parimodo moderabimur.

XIV. Ordo me ducit ad loca fonticulis excipiendis idonea declaranda, quæ tamen antequam specialius designem, generalia aliqua præmonenda erunt. Nam tametsi humores excrementitii ad omnes corporis partes vergere possint, ibidemq; deponi, non tamen pro istorum evacuatione, revulsione, derivatione, interceptione, in omnibus corporis partibus fonticulos parare convenit, siquidem exemptæ sunt partes nobiliores, teneriores & ipsis proximæ membranacæ, dein nervosæ exquisitum & acutum sensum obtinentes; porrò partes amplissimis vasis turgidæ, ob metum extravasationis nimix sanguinis, minùs sunt tangendæ, similiter Musculorum ventres medios, capita & tendines vel motus liberi imminutio vel dolor inter movendum, vel facilè supervenientes afflictiones spasmodicæ immunes præstant: Artuum extrema propter vasa conspicua denudata multa, ossa, tendines, nervulos numerosos se ab hac operatione-

ratione tuta esse postulant. Nihilominus *Lazarus Riverius* *Prax. Med. L. 1. cap. 16.* refert, ex *Zacuti Lusitani L. 1. Prax. Med. mirabil. observ. 7. 8. & 10.* fonticulum inter pollicem & indicem ab eo admotum, aliis experimentis comprobatum esse, & rebellem capitis dolorem curasse. In jugulo ipso Studiosum Borussum hîc globulum gestasse contra raucedinem *Magnif. DN. DECANUS* notavit. Quia verò fonticuli quotidie deligari & mundari debent, hinc ad commoditatem respiciendum est, ut in tali loco ponantur, quem manibus tractare licet; dein quia iidem nomen acceperunt inde, quòd sint quasi parvi fontes humiditatem subinde stilantes, præstat ipsos in confinio vasorum inurere, ut ex horum propaginibus minoribus excernendum humorem haurire possint. Ulterius quando in brachio aut pede expetitur Fonticulus, interstitium inter musculos relictum, apice digiti explorandum, pro sede fonticuli eligere oportet, hoc enim modo nulla motus læsio vel dolor inflexione aut extensione subsequitur, quinimò pilum aut globulus in situ firmiter detinetur, in cuius etiam cum ligaturâ exteriori firmandæ gratiam, aliàs loci declivitas vitanda est.

XV. Agedum præmissi dati memor nunc loca fonticulorum speciatim indicabo & determinabo. Primò igitur obvenit fonticulus Capitis, qui cum humores & recrementa educere debeat, in eâ capitis regione erit inurendus, ubi istis commodus patet exitus, in confinio nempe suturarum: Concurrit autem futura coronalis cum sagittali, hæc cum lambdoideâ; eligitur tamen prior locus, Fontanella nonnullis dictus, *das pulsirende Blättlein* in recens natis, quo nimirum coronalis sagittali jungitur, siquidem hîc facilius fonticulus detinetur, uberioremq; ex capitis parte anteriori humidiori suscipit materiam, ossa quoque minus existunt dura, utpote serò solidescencia, hinc & rariora notantur,

cur, insignis deniq; vena ibidem conspicitur, quæ aliquando per futuram discurrit, unde melior evacuatio. De cætero quomodo investigari possit hic locus, utpote capillis & cute rectus diffusè proponit *Hieron. Fabric. ab Aquapend. de Chirurg. operat. p.m. 6.* Usitatissimus modus Patavii eodem teste est sequens: *Carpus manus admoveatur globulo nasi, dein manus cum digitis versus capitis sphaeram extenditur, & quò apex digiti medii pertigerit, ibi est locus, ubi sutura committuntur & fonticulus ponitur;* at quoniam nec prædictus modus adeò certus est, quò minus quandoq; fallat, ubi nasus longior, manus brevis, caputq; oblongè convexum, hinc aliqui Doctores *Galenum* secuti, ægrotantem jubent dentes simul valideq; percutere, atq; tunc ubi in prorâ capitis superius motum obscurum tangentis manus persentit, ibi locum aptum asseverant; Verùm nec hoc adeò certum haberi potest signum, certius habetur in Calvis & Senibus cutis depressa suturarum locum evidentissimè indicans. Quicquid sit, quando nullum certum nobis in aliquibus hominibus loci propositi datur signum, sufficit, ut cum *Hieron. Fabr. ab Aquapend.* locum magis superum eligamus, ita ut si forte fortuna concursus coronalis cum sagittali minùs inveniamus, sagittalem tamen futuram ad minimum attingamus. Loco autem cognito, & capillis abrasis atramento notato, ferramentum candens (à vulgari, quo fonticuli inuruntur, nonnihil distinctum, & non simpliciter inurens sed etiam incidens) inprimitur & circumagitur, ut non solùm integumenta cranii exteriora, sed etiam ipsum os aliquantum aduratur, quo facto usta cutis & cranii portio eximitur, & reliqua pro fonticulorum tractatione in principio necessaria applicantur.

XVI. Secundus fonticulus in nuchâ paratur inter primam & secundam cervicis vertebra, ubi capilli per duos
C quasi

quasi digitos terminantur, & cavitas aliqua ibidem apparet; Peculiare nomen hic fonticulus ab antiquis sortitus est, dictusq; *setaceum*, eò quod ex setis aut pilis caudæ equinæ chorda olim confecta esset, quæ per duplex foramen trajiciebatur. Instrumenta autem ad hanc operationem necessaria, tria olim adhibita fuerunt: scil. forceps ad elevandam cutem utrinq; perforata, acus major vel stilus, qui foraminibus forcipis paulò minus respondet, & in ea intruditur, quiq; modo teres, si ferro candente setaceum parari debeat, modo anceps, & deniq; chorda, cujus vices sericum album contortum hodie subit: Plures tamen nostro tempore non amplius utuntur forcipibus perforatis pro cutis interceptione & acus ignitæ traductione, sed adinvento jam loco cutis unâ manu ministri, alterâ Magistri elevatur, & cuspide lanceolæ pertunditur, & ligula sericea cerâ obducta è vestigio traducitur, quæ postmodum medicamento digestivo imbuenda & sæpiùs commovenda est.

XVII. Tertiæ fonticuli locum subeat fonticulus inter homoplatas, ex utroq; spinæ latere, plurium pisorum capax inurendus, cujus utilitatem *Th. Willisius* commendat. Vid. etiam *Thom. Barth. Histor. Anatom. rariorum Centur. IV. Histor. 33*. Ego tantis Viris immortalē famam scriptis suis promeritis equidem lubens assentior, quando verò molestias attendo, quas patiens sustinere cogitur, dum nec ipse propriis manibus talem fonticulum contrectare, nec oculis conspicere, prætereà in dorso commodè decumbere non potest, quinimò globuli à scapularum motu facile foras protruduntur, vix ac ne vix quidem ejusmodi fonticulos alicui persuadere audeo. Eandem ob causam scil. ob incommoda & partium verendarum denudationem fonticulos in hypochondrio sinistro, & ingvine producendos, sicco prætereo pedē, quamvis alioquin ipsorum efficaciam penitus negare nolim.

XII X. Quartus fonticulus frequentissimè in brachio, & quidem in interstitio, quod musculum deltoidem & bicipitem intercedit, antè effoditur; invenitur verò hicc locus quatuor aut quinque digitis transversis infra caput humeri, si digiti apicem imponas & brachium flectas, illa enim cavitas ubi apex remanet, locum verum atramento notandum præbet. Vid. *Cass. Barthol. de Cauteriis. Thom. Barth. Anatom. L. IV. c. 2. p. 561.* Alii insuper fonticulum in parte exteriorè inter deltoidem & secundum cubiti flexorem, alii in medio deltoidis ventre, nonnulli in ejusdem fine fonticulos inurunt, sed omnes contrà conditiones & bonitatem fonticuli requisitas peccant, quod in ipso conflictu fusius probabo.

XIX. Quintus in pede efficiendus fonticulus, fit vel in femore inter vastum internum & fasciale, ad distantiam 4. digitorum transversorum à genu ipso, vel in tibi-inter gasterocnemium & soleum; *Joh. van Horne in Microtechne, Adrianum Spigelium, Anatomicum Patavinum*, inter duos gasterocnemii ventres fonticulum excitasse, affirmat.

XX. Vidimus hucusque loca fonticulis suscipiendis idonea, proximum est, ut indagemus, quæ post præparationem illorum statim sint agenda? Primò igitur ea Medico vel Chirurgo incumbit cura, ut quæ adest crusta separetur, usu suppurantium & digestivorum, inter quæ usitatissima sunt, *butyrum, axungia porcina sine E, Ungt. Dialth. Terebinth. Venet. cum vitell. ovi recent. & Ol. rosaceo*, superimposito *fol. brassicæ plantag. latifol. fol. heder. arbor. recent.*, vel *Empl. diachyl.* item *Empl. de sperm. ranar.* & circumductis exterius fasciis, viciniâ verò *Ol. rosaceo* vel *violaceo* illitâ.

XXI. Crustâ vel escharâ sensim sensimque separatâ & abscedente, foramini intermedio excavando immittitur

pilula ex cerâ aut pisum cum digestivo, cujus loco dein sequen-
tibus diebus *globulus ex rad. Gentianæ, rad. Iridis*, vel harum
radicum pulvis cum cera exceptus & in pilulam efformatus
substituitur, alii pilulam plumbeam adhibent, pondere suo
alveum citius sibi parantem; hinc desuper applicatur empl.
aliquod in medio perforatum, e. g. *Empl. Diachyl. simpl. vel*
Norimbergense, vel *R. Axung. Porcin. Ol. olivar. āā ℥j. Li-*
tharg. ℥jss. Vitriol. alb. in ∇ fol. Querc. solut. ℥ij. Coq. ad consist.
Empl. quod probatissimū & à Nonnullis instar magni Secreti
habetur, quamvis ferè idem sit cum *Cerato Diaquercino à Cla-*
rissimo Zwelffero in Pharmacop. Regia Clas. XIX. descripto;
huic charta bibula triplicata vel pannus complicatus accom-
modatur, cuncta verò in situ conveniente à laminâ argen-
teâ vel orichalceâ aut cupreâ concavâ scalari, ope ligamenti
lati coriacei circumducti, firmantur. Intereâ quotidie bis
fonticulus repurgetur à pure & sordibus collectis, & lintea-
mina mutantur. Elapso postmodum trium dierum spatio
globulus ex hedera arbor. cum filis lineis carptis digestivo
imbutis, vel pro ditioribus ex Corall. rubro aut succino albo
intrudatur, donec ad fluxionem materia disponatur. Quod
si fluere nolit, *agarici*, vel *rad. elleb. nigri* pulverisatæ ali-
quantum ceræ permisceri poterit; Vel *R. Pulv. rad. Gen-*
tian. 3j. Galang. 3ss. & sublimat. 3ss. Cer. q. s. f. globul. instar.
pisorum. Vel *R. Turpeth. Hermodactyl. Agaric. lva arthet.*
āā. 3j. Ceræ 3ss. Terebinth. 3j. M. fiant. glob. instar. pisor.
Marc. Aurel. Severin. Pyrotechn. Chirurg. L. II. Part. I. de Ento-
pyria cap. XI. inter alia s̄vadet pilulam intingere in linimen-
to à *Philippo Ingraffia Part. III. de Peste* descripto, quod re-
cipit *Ungt. Apostol. 3ss. Hellebr. nigr. colocynth. āā. 3j. mell. &*
terebinth. āā. parum. Globulos ex *Regulo* † ii *Dn. D. Joh.*
Carol. Hammerer, Celeberrimus apud Argentinenses Practicus
mihi commendavit.

XXII. Tempore subsequente, & humiditate subinde absq; morâ effluente, non minus pilulâ in cavitate commodè repositâ sordium putridarum expurgatio bis vel semel singulis diebus continuanda est; pilula verò toties erui non debet, sufficit enim eam linteolo circum volvere, & impuritates adhærentes abstergere; suprâ fonticulum *fol. hederæ* vel emplastrum foramine medio pervium proximè applicatur, cui rursus pro imbibendâ humiditate emanante charta bibula uti moris est, admovetur, singula dein cum laminâ arctiùs constringuntur, ut materia fluida magis quasi ex spongiâ exprimatur.

XXIII. Ceterum quia symptomata varia quandoq; ingruere solent, non abs re erit, si subnectam, quomodo illis occurrere possimus, solet autem præprimis nonnullis acerbam parere molestiam dolor, hic si à causâ externâ, e. g. aeris frigore ortum traxerit, *frigidum* quippe juxta *Hippocr. Aph. XX. sect. V. aliàs ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit*, convenit locum pelle quapiam molli obtegere, vel sacculo ex anodynis & moderatè calidis herbis parato fovere; si dolor ab asperitate pilulæ pungente vel ejus magnitudine distendente processerit, eam permutabimus; si ab arctiori fasciarum circumplicatione, hæc relaxabimus. Frequentissimè Dolor causam agnoscit internam, humorem \ominus inum, acidum, corrosivum, quem per cataplasmata digerentia & acrimoniam frangentia lactea aquea diluta, vel oleosa attemperabimus, non omisâ ejusdem aliorum per sudorem aut lenem purgationem evacuatione.

XXIV. Pruritus dolori affinem, indeq; enatas excoriationes & pustulas tollimus medicamentis siccantibus, absorbentibus, & refrigerantibus, quapropter inspergatur *pulv. bol. armen. ceruss. tutiæ*, vel fiat inunctio cum

Ungt. de Liquiritia. de ceruss. camph. de minio, diapompholygos.

XXV. Caro pilulam vel globulum fonticuli ambiens laxa nimis quando sangvinem fundit, fila lintea tenuissimè carpta cum pulveribus tenuissimis siccantibus & adstringentibus circumponantur: Quòd si eadem ex affluxu humoris turgescentia nimium excrescat, alum. crudi pilula imponi, vel *alumen ustum, os sepia, rad. Aristol. rot. vera, malicor.* inspergi possunt; quinimò, circumspectâ tamen adhibitâ industriâ, licet portionem carnis forfice rescindere, præprimis cum *Galenus de Art. Medic. c. 96.* universaliter pronunciaverit: *Quibus aliqua particula superabundat, hanc resicare oportere, aut scalpello, aut igne, aut medicamine.*

XXVI. Si callus succrescat, ille destruat per *pulverem sabinae, chalcanti usti*, vel *hellebori nigri* inspergendo, aliqui & *sublimatum* assumunt: Vel *℞. Spod. ppt. Tut. ppt. Ocrud. ʒ. Hni ʒāā ʒss. Virid. aris. gr. v. M. f. Pulv. Dominicus de Marchettis in Patavino Lyceo Chirurg. Prof. celeberrimus*, uti ab *Excellentissimo DN. D. HOFFMANNO Juniore* accepi, ad callum fonticuli absumendum globulum adhibet ex *cera & cantharidum* æquali parte confectum, illumq; per 4 horarum spatium impositum relinquit. Convenit verò insuper exterius *Empl. aliquod emolliens, Diachyl. c. Gum. ʒc.* imponere. Scarificationem, quam aliqui præcipiunt, ego approbare nequeo.

XXVII. Foetor individuus putredinis comes præcavetur per diligentem absterfionem & lintheaminum frequentem mutationem; jam præsens tollitur per pulveres odoratos *Ambrae, Moschi, Lign. Rhod.* globulo cereo admiscendos. Vel fiat ablutio cum *Aq. Rosar. Sambuc.* addito parùm de *Aq. odoriferâ Augustan. Spectatissimus DN. DECANUS* globulum ex *rad. Ireos flor. & pomula aurant.* laudat.

XXIIX. Hæc

XXIX. Hæc de Symptomatibus frequentioribus innuisse sufficiat, subnectere nunc placet usus à fonticulis speciales expectandos. Supra equidem jamdum generatim asserui, fonticulos humores intrà cutis poros aut glandulas aggestos, aut per arterias & nervos illuc advectos, quin recrementa serosa subtus cutem per musculorum & membranarum interstitia educere: Sed specialius nunc designandi erunt usus singulorum fonticulorum: Fonticulus igitur in futuræ coronalis & sagittalis confinio excitatus, prodesse dicitur in Apoplexiâ, Epilepsiâ, Lethargo, Melancholiâ, Maniâ, Cephalalgîâ, aliisq; affectibus cephalicis; materiam quippe humorosam, pituitosam, acrem, sulphureo-Θinam, acidam, vel eandem vaporosam evacuat, sicq; exhalationi fuliginum ignearum viam pandit. Idem fonticulus affectibus rhevmaticis à cerebri destillationibus exortis medetur, dùm à sanguine recrementa serosa suscipit & foràs evehit. Verùm *Th. Willisius* Vir ingeniosissimus hîc dubium movet, dùm ait, *quamvis nonnulli ejusmodi fonticulum in familiari habeant praxi, sese tamen minùs feliciter id fieri comperisse; adeoq; multos fonticulos ita in summitate corporis excitatos occludi præcepisse, atq; hoc non sine ratione, æquè ac experientiâ edoctum: quippe sanguis versus locum ubi recrementa sua deponere assuefactus est fœculentias plures transfert, easq; in totâ viciniâ ac potissimum in parte affectâ deponit, unde sæpius morbum augeri potius quam sanari contingit.* Adhæc *Beatus Rolfincius in ordine 3 Method. medicinæ specialis consultatoriæ Lib. II. Consil. 6. de fonticulo præsentē ita loquitur; Existimamus in melancholiâ aliquos impuros vapores per illud ulcerosum foramen exhalare posse, judicamus tamen multa inde fieri incommoda: Præterquam enim quod ad nobilem partem vapores ex imis partibus trahantur, excitatur abscessus supra Morbum.*

XXIX. Fonticulus in nuchâ setacei nomine veniens humores à capite derivare potentissimus est, unde ad oculos fluxione longâ graviq; vexatos tam singularis medelæ hujus habetur necessitas, ut cum hâc bene valuisse illos, qui jam occæcati fuerunt, subtractâ rursus ad cæcitatem rediisse, ac tertio repetitâ eâdem curatione restitutos testetur *Michael Paschalius in Tract. Method. cap. de Ophthalmiâ.* Similem observationem à se habitam adducit *Ambros. Paræus Oper. Chirurg. L. IX. cap. 24.* ibidemq; hoc remedii genere, ex *Hollerii* Medici undiquaque doctissimi decreto, adolescentem quendam 20. annos natum à morbo caduco, cujus insultibus antea crebro prehendebatur, se liberasse testatur, derivatis, uti credere par est, illâ arte ichoribus mali fomitibus. Jungatur *Guilelm. Fabr. Hildanus Observ. Chirurg. Centur. I. 41.* qui insuper affirmat in catarrhis & destillationibus ad pectus nihil præstantius esse setaceo, seq; nonnullos semiphthysicos, qui & sanguinem & pus expuerunt, hoc remedio præcipue curasse, idq; observatione peculiari *Centur. III. 38.* comprobat.

XXX. Fonticulus in brachio materiam serosam propter vicinitatem à capite ejusq; organis aptè suscipit, sicq; à partibus nobilioribus derivat, similiter dum humores versus Cor & pulmones refluentes intercipit & evacuat, in morbis pectoris remedium præbet non contemnendum.

XXXI. Fonticulus tandem in femore vel tibiâ in affectibus partium superiorum levamen affert, non minus Epatis Lienis renum & uteri vitiis opitulatur, dum humores affluxuros revellit, vel intercipit, vel à parte mandante evacuat; quinimò videtur hic fonticulorum locus à naturâ monstrari, quando Senes humiditates ob caloris & motus defectum uberius accumulatas ad pedes vergere subinde experiuntur. Cumq; humores per declivia deorsum ferantur,

tur, nostraq; intemperantia non in Capite, etiamsi ore hauriamus potum, sed in ventre sit, facile cum *Speſtatiff.* DN. DECANO crura præ brachiis eligimus, utriq; manus dexteritati exposita.

XXXII. Coronidis loco duas addere liceat quæſtiones I. *Quibus corporibus fonticuli ſint proficui?* Ad hanc respondeo, prodeſſe fonticulos corporibus materiâ ſeroſâ fluxili abundantibus, rariùs ſudantibus, & quieti indulgentibus, ac conſequenter morbis inde originem naſtis obnoxiiis, ſi repurgato prius corpore inurantur. Contra Fonticuli nocent, quibus Sulphure Sanguinis nimium diſſoluto ſerum copioſiſſimè cum virium proſtratione effluit; nocent etiam in quibus acidum p. n. peccat, quod cum ſanguine ad fonticulos delatum in fermentum corruptivum ibi degenerat, ut ulcera foetida phagædena ſubnaſcantur. Nec ſine tædio & nocumento fonticuli parantur perſonis, in quibus maſſæ ſanguineæ compages ſtrictior ſerum paucum minùs à ſe dimittit, temperamento item cholericopræditis, hîc enim quoniam ſerum ſulphureo- \ominus inis portionibus aduſtionem paſſis & lixivioſis ſcatet, dùm ad fonticulos pervenit, phlogosin ſummè dolorificam ciet.

XXXIII. Quæſtio II. *Quamdiu aperti ſervandi fonticuli?* Non unanimis offendes Autorum ſententias, ita ut ſi authoritate ſtare velles, calculum certum ponere minùs poſſes; dum triennium alii, alii ſexennium ſtatuunt, dicam tamen pro ingenii tenuitate breviter, quæ ſentio: Nimirum puto iſtos tamdiu apertos per plures annos eſſe ſervandos, quamdiu materia evacuanda adeſt, & à naturâ ad locum apertum protruditur, conſulendas tamen ſimul cenſeo vires patientis, partis diſpoſitionem & alias circumſtantias externas; quod ſi enim corpus fiat debile, vires proſtratæ ſubſequantur, pars incipiat nimium putre-

fcere aut gracilefcere, vel fluxio spontè cefset, rurfus oc-
clufionem moliendam eflè iudico, dummodo ea non fit
nimis fubitanea, corpus ante & pofl leniter expurgetur, &
natura ad fudorem frequentiùs invitetur.

Sed claudo nunc fonticulos, & inexhausto
GRATIÆ DIVINÆ *fonti pro clementiffima*
ad præfentem laborem irrigatione humillimas
ago grates; Benevolum verò Lectorem obfe-
cro, ut favoris rivulos porrò in me derivare,
aridasq; aut steriles, fi quæ ipfi vifæ fuerint,
lineas hæce profufi amoris venâ inundare
dignetur.

S. D. G.






Q Vando salutiferum tua Weihencellā re-
 pente
 ebullientem fontem inenarrabili
 utilitate probat magno orbi ; fiftis, amice,
 mundo minori in se salutis tu pariter
 fonticulos. Fontes Tagus aureus hinc tibi
 præstet
 opum, atq; gratiæ DEVS fons gratiæ.

*Nobilissimo & Cl. Dn. Doctorando,
 amico & commensali longè
 suavissimo,*

αὐτοχρηστὴ f.

JOHANNES SAVBERTVS, S. Theol. D.



Vando salutem in Willelmum

per

conferentiam forem in partibus

multis propter magno etiam in parte

multis in parte in parte in parte

conferentia in parte in parte in parte

per

opum, per gratia de v. s. fore gratia

conferentia in parte in parte in parte

conferentia in parte in parte in parte

conferentia in parte in parte in parte

conferentia in parte in parte in parte

JOHANNES ZAVERRUS, 2. Theol. D.